

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Oratio z cum uariis

Vide quam breuis oratio et omnium plena uirtutum, primus sermo quante est gracie. O homo, faciem tuam non audebas ad celum attollere, oculos tuos in terram dirigebas, et subito accepisti gratiam Christi! Omnia peccata dimissa sunt; ex malo seruo factus est bonus filius. Ideo presume non de operatione tua, sed de gracia Dei. Gracia enim saluati estis, apostolus dicit. Non ergo hic arrogancia est sed fides. Predicare quod acceperis non est superbia sed deuotio. Ergo attolle oculos ad Patrem qui te per lauacrum genuit, ad Patrem qui te per Filium redemit, et dic: Pater noster. Bona presumptio sed moderata patrem dicis quasi filius, sed noli specialiter tibi aliquid uendicare. Solius Christi est Pater specialis; nobis omnibus in communi est Pater quia illum solum genuit, nos creauit.

Ambrosius super illud Matthei VI: Pater noster qui es in celis.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

breuis] est *add.* P V¹ V² L¹ L²; graciae.] gratiae? V²; est] es P V¹ V² L¹ L²; enim] dei *add.* M; apostolus dicit] ut dicit apostolus P V¹ V² L¹ L²; non ergo hic] non enim hec P V¹ V² L¹ L²; arrogancia est] est *om.* M; te per lauacrum] per lauacrum te P V¹ V² L¹ L²; te per filium] per filium te P V¹ V² L¹ L²; dicis] dicit M; genuit] qui *add.* P V¹ V² L¹ L²; VI.] V. M